ΣΥΝ ΘΕΩ

DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA DE

ANEVRYSMATE

QVAM AVTHORITATE AC DECRETO MAGNIFICI NOBILISSIMI ATQVE GRATIOSISSIMI CONCILII MEDICI IN PERANTIQVA RAVRACORVM VNIVERSITATE PRO SVMMIS DOCTVRÆ MEDICÆ INSIGNIBVS DIGNITATIB. ET PRIVILEGIIS SOLENNITER AC LEGITIME IMPETRANDIS PVBLICO PHILIATRORVM EXAMINI AD DIEM XXIII. AVGVSTI A. P. S. cIɔ Iɔc LXVII. IN ACROATERIO MEDICORVM SVBMITTIT

SEPTIMVS ANDREAS FABRICIVS NORIMBERGENSIS.

BASILEÆ
TYPIS IOH. IACOBI DECKERI ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Συὺ Θεῷ.

DISPVTATIO INAVGVRALIS MEDICA
de
ANEVRYSMATE.

Thesis I.

INter *Operationes Chirurgicas*, quæ majorem Administrantium peritiam, dexteritatem ac ſolertiam requirunt, ſunt I. *Trepanum.* II. *Depoſitio Catarrhactæ.* III. *Depoſitio Vngulæ.* IV. *Laryngotomia.* V. *Paracentheſis Thoracis.* VI. *Paracentheſis Abdominis.* VII. *Arteriotomia.* VIII. *Hyſterotomotocia.* IX. *Lithotomia.* X. *Keletomia.* XI. *Amputatio Membrorum externorum.* XII. *Naſi amputati ex carne Brachii reſtitutio* & aliæ: de quibus omnibus *Chirurgorum libri* videri poſſunt.

II.

Quoniam verò inter has Operationes *Arteriotomiæ* quoque fit mentio; & plurimi Authorum teſtantur, in ſectione Arteriarum *Aneuryſma* admodùm difficulter præcaveri poſſe: ſublimiores de *Aneuryſmate* cogitationes ſuſcipere, & genium ac naturam illius penitiùs introſpicere cœpi. Vnde nata mihi præſens Diſputatio inauguralis, in qua *Cognitionem* pariter atque *Curationem Aneuryſmatis*, pro virium tenuitate, *bono cum Deo*, breviter ac dilucidè explicabo.

III.

Cæterùm *Cognitio Aneuryſmatis*, ſicuti omnium Affectionum p. n. conſiſtit primò *in Definitionis conſideratione*, quæ duplex eſt: *Nominis* & *Rei*. *Nominalis Definitio Etymologiam vocis* & *Significata* perpendit. *Realis Genus*, *Subjectum* & *Cauſas* explanat. Deinde *in Differentiarum enumeratione*, & tandem *in Signorum Doctrina*: quæ omnia ante *Curationem* examinanda ſunt.

IV.

Quod principiò *Onomatologiam* ſeu *Nominis explicationem* attinet, ea neceſſariò hoc loco præmittitur, quia ut *Galenus* ait, ſine hac rem velle cognoſcere, nihil aliud eſt, quàm tempus perdere. Et, ut *quidam Eruditorum* docet, non fas eſt ad rem tractandam decurrere, niſi priùs Vocis Significata exhibeas & ambiguitates detergeas. Sciendum igitur, quòd *Aneuryſma* non ab *α* privativâ particulâ & *τοῦ νεύρου*, à *Nervo* (quaſi Enervationem dicas) oriatur: ſiquidem non Nervus, ſed Arteria, quæ ab hoc plurimùm differt, hujus Affectûs ſedes eſt. Rectiùs autem *ἀπὸ τοῦ ἀνὰ καὶ εὐρύνειν*, quod ſuprà dilatare, vel potiùs à verbo *ἀνευρύνειν*, quod ampliare & diffundere ſignificat, derivatur: quia Arteriæ tunicæ ampliantur, & etiam Sanguis ex interiore in exteriorem diffunditur. Vnde parum momenti habere videntur Nomina, quibus *Arabum interpretes* hunc Affectum indigitant, quando *Emboriſmum*, *Emboriſma*, *Aporiſma* & *Hyporiſma*, itemque ſanguinis matrem nuncupant. *Vocabulum Aneuryſmatis* ſumitur aliquando, in latiori tamen ſignificatione, pro omni vaſis dilatatione, ſive Vena ſit, ſive Arteria.

Libr. 1. Meth. Med. cap. 3.

Gorr. Libr. 1. Definit. Med.

V.

Realem Aneuryſmatis Definitionem Authorum Diſſenſiones difficiliorem reddunt. Diſſentiunt enim ab invicem potiſſimùm in doctrina de Genere ſeu Forma, & Modo productionis, quando id alii per Arteriæ Dilatationem & Relaxationem; alii per Apertionem; alii per Tumorem p. n. definiunt. Veniam *à Doctis* me conſecuturum ſpero, ſi fortè in re tam ambigua & controverſa, pedem alicubi impegero & ſeceſſionem ab illis fecero.

VI.

Eſt autem *Realis Aneuryſmatis Definitio*, quòd ſit Arteriæ Dilatatio vel cum vel ſine interioris tunicæ Apertione, à Sanguine Arterioſo proveniens. Hæc *Definitio* licèt fortaſsè non omnibus perfecta & abſoluta eſſe videatur, eam tamen pro *ſignificante* hujus Affectûs *Deſcriptione* haberi poſſe, omninò mihi perſuadeo.

VII.

Genus Aneuryſmatis conſtituitur Dilatatio: cætera verba abſolvunt Differentiam. Tumor ergò, tanquam Genus remotius, rejicitur.

VIII. *Sub-*

VIII.

Subjectum Aneurysmatis Speciale sunt *Arteriæ*; *Generale* verò *plures corporis partes* tam *internæ*, quàm *externæ*. Sic, notante *Julio Cæsare Claudino*, fieri nonnunquam solent *Aneurysmata* in Capite, in flexura & cavitate Cubiti & ad alia Arteriarum loca. *Rembertus Dodonæus* infra Guttur, supra Os Pectoris, circa Spinam Dorsi, in Ostio Ventriculi & in Mesenterio, *Aneurysmata* enata fuisse, recenset. *Andreas Vesalius* apud *Johannem Schenckium* scribit, se vidisse in Poplite, in Pectore, in Brachiis: quod ipsum etiam *Eustachius Rudius* calculo suo approbat. Frequentissimè autem in Gutture oriri, præsertim in Mulieribus, post Partum difficiliorem, plerique omnes Medici testatum faciunt. Quare, ut hoc obiter addam, sedulò caveant Obstetrices, ne Parturientibus, inter enitendum, caput imprudenter efferre ac velociter resupinare permittant. Ejusmodi *Aneurysmata* interdum etiam Cantoribus & Tibicinibus ac aliis, vocem vehementer intendentibus, accidisse, *Bernhardus Suevus*, ex Commentario *Danielis Sennerti* in *Galenum* de Tumoribus, memorat. *Aneurysmata* à Vomitu, à Venere, nec non in Currentibus & Ebriis excitata fuisse, multi tradunt Authores.

Consult. Med. 67.
Obs. Med. rar. cap. 51.
Libr. 5. de Tumorib. p. n. Observ Med. 211.
Libr. 5. de Tumorib. cap. 3.
Tract. de Vulner. Inspect. part. 2. cap. 11.

IX.

Vtrum autem Sanguis, in Aneurysmate, ex Arteria profluat & subter cutem sese recipiat? non malè quæritur. Pro negativa militant sequentes Rationes. Prima est, quòd omnis Sanguis extravasatus, sive extra proprium locum profusus, putrescat & corrumpatur: ut in Ecchymomate videmus, ubi Sanguis, integrâ sæpè cute, in vicina partium spatia effunditur, & color, qui in parte est, principiò in rubrum, deinde lividum, posteà flavescentem, virescentem & nigricantem, mutatur. Secunda, si Sanguis esset extra Vasa, tunc non tam citò cederet prementi digito, in Arteriæ Corpus ingrederetur & ablato digito rediret. Tertia, quia Sanguis non in longum & latum ac circumcirca diffunditur, ut in Contusionibus & nonnunquam post Venæsectionem contingere solet; præcipuè cùm Sanguis Arteriosus magis tenuis ac impetuosus, & ad fluendum atque penetrandum aptior sit, quàm Venosus.

Gal. Libr. 6. de Anat. Administr.

X.

Caſp. Bauhin. Theatr. Anat. Libr. 2. Cap. 23.

Alius igitur *Receptionis locus eſt quærendus*, hoc modo: Omnis Arteria duplicem habet tunicam, unam exteriorem, alteram interiorem. Exterior tenuis eſt, rara ac mollis, qualis eſt venæ tunica: Interior craſſitie ferè quintupla, denſa ac dura. Ex his tunicis, quando interior vel extenſione vel alio modo, rumpitur, vel ſectione aperitur, non facilè, tanquam durior coaleſcit. Altera verò, ſive exterior, quia venæ tunicæ cognata eſt, haud difficilè & dum interior adhuc patet, coaleſcit: unde etiam à ſanguine ſpirituoſo exitum impetuosè quærente, extenditur & tumorem hunc, qui leviter manu compreſſus ſibilum edit, producit.

XI.

Cauſarum Aneurysmatis multæ recenſentur: quæ tamen omnes ſic dividi poſſunt, ut alia ſit *Proxima* & *Immediata*: aliæ verò *Mediatæ*. *Proxima Cauſa*, inter quam & Morbum ipſum nulla intercedit alia, eſt ſanguis ſpirituoſus, qui vel utramque Arteriæ tunicam diſtendit, vel ab interioris Arteriæ tunicæ apertione profunditur & exteriorem dilatat. *Mediatæ Cauſæ* diſpeſcuntur in *Internas* & *Externas*. *Hæ* in *Remotiores* & *Propinquiores*. *Illæ* in *Neceſſarias* & *Contingences*. *Neceſſariæ Aneurysmatis Cauſæ* ſunt ſex *Res Non-Naturales* à Medicis vocatæ, utpote 1. Aër calidior. 2. Cibus acris, ſalſus, piperatus, aut aliis aromatibus nimium conditus. Potus largior Vini generoſioris, itemq; frequentior Spirit. Vin. & ſimilium ingurgitatio: quæ omnia ſanguinem & ſpiritus potentiſſimè inflammare & accendere, atque ſic anſam huic malo dare poſſunt. 3. Vigiliæ nimiæ ac ſomnus nullus, unde ſanguis bilioſus factus, accenditur. 4. Quies, Inquies, Motus immodicus, quò etiam Curſitationis, Equitationis & Vecturæ exceſſus pertinent. 5. Excreta & Retenta vitioſa, ut: ſanguinis è naribus fluere ſoliti ſuppreſſio, V.S. & Hirudinum aut cucurbitularum intermiſſio, &c. 6. Animi Pathemata, potiſſimùm Ira & Furor.

XII.

Contingentes de externis Mediatis Aneurysmatis cauſis ſunt Inciſio, Diſtentio, Conflictio, Vincula, Caſus, Pondera, Afflatus, Clamor, violentus Membrorum Raptus, &c. Inter *Cauſas Me-*

diatas internas Proximiores refertur Sanguis copiosior, calidior, acrior, salsus, præcipuè scilicet biliosus. Inter *Remotiores* numeratur calidior corporis Intemperies, sive de Natura talis, sive ex Morbo talis sit. *Humor Melancholicus* aliusvè crassus, crassitie suâ Arteriam distendendo & tanquam repagulum sanguinis Arteriosi fluxum sistendo, Aneurysmatis causa etiam esse potest. Verùm cùm Aneurysmatis à suprà tantùm enarratis causis orti curationem declarare animus sit, ne scilicet *Disputatio* hæc præfixam transcendat metam; de melancholico humore saltem hoc in transitu proponere volui.

XIII.

Hactenus *Definitio*. *Differentiæ Aneurysmatis* jam investigandæ occurrunt. Harum aliæ *à Forma*, *Subjecto* seu *parte affecta* & *Causis* peti solent: aliæ *à Magnitudine*, *More* & *Motu*. *A` Forma* desumta *differentia* est, quod aliud sit rotundum, ut pleraque omnia videmus: aliud longiusculum, quod rariùs contingit. *A` Subjecto* seu parte affecta: aliud exrernum est, aliud internum. *A` Causis*: aliud fit à Causa externa, aliud ab interna. Totuplices enim sunt *Differentiæ Aneurysmatis* ratione Causarum, quotuplices causæ esse solent. *A` Magnitudine*: aliud majus est, ut Hispanus ille habuit, cujus picturam M.A. Severinus exhibet; aliud minus, instar globuli vel etiam pilæ. *A` More*, aliud mitiùs tractat Ægrum, aliud graviùs. *A` Motu* denique: aliud curatu facilius est, aliud difficilius. Libr. de Absc. cap.7.

XIV.

Traditis *Aneurysmatis Differentiis*, *Signa* ejus detegenda veniunt. *Signa* autem vel sunt *Diagnostica* vel *Prognostica*. *Illa* 1. ipsum Affectum declarant. 2. Causas manifestant. 3. ostendunt, quâ ratione ab aliis Affectibus p.n. distinguatur. *Signa Diagnostica ipsum Aneurysma & quidem externum denunciantia* sunt Tumor pulsans, plerumque mollis, digitorum compressioni cedens & amotis digitis retrogrediens, cum cutis colore non variegato. Non obstat, quòd *Ambrosius Paræus* asserat: nonnunquam, in *Aneurysmatibus* grandioribus, nec pulsum percipi, nec sanguinem in Arteriam digitorum compressione, compelli. 1. Quòd major sanguinis effusi copia sit, quàm ut pristinis Arteriæ conceptaculis coërceri possit. 2. Quòd sanguis in thrombos coëat Chirurg. Libr.6. circa finem cap. ultimi.

& concrescat,ut destitutus postea Ventilationis beneficio, quod à corde habet, putrescat, ingentes dolores excitet, Gangrænam & Sphacelum producat,adeoque tandem ipsius Animantis interitum acceleret. Quicquid enim de his sit, negari tamen non potest, quòd semper quidam Vicarius motus aut strepitus, velut bullientis aquæ,inibi perceptus fuerit,quodque sibilum illum non modò digitis, verùm etiam auribus admotis, deprehendere licuerit. *Aneurysma internum* plerumque post obitum demum patefit, & præter molestam pulsationem, vix ullum exhibet indicium.

XV.

De Causarum Signis sequentia hîc exprimi debent. *In utriusque Arteriæ tunicæ Dilatatione* Tumor est durior, oblongior, teretior & Arteriæ formam referens. *In interioris Arteriæ tunicæ Apertione & exterioris Dilatatione* Tumor est mollior, rotundior, amplior & major.

XVI.

Distinctiva Signa sunt hæc. Differt ab *Ecchymomate Aneurysma*,quòd in hoc Tumor ipsarum Arteriarum plerunque mollis sit, compressioni digitorum sic cedens, ut si fortè sit exiguus, penitùs disparеat, sanguine Arterioso intrò,in Arteriæ corpus, refugiente,sed mox sublatis digitis, pari celeritate, regrediente. Sentitur etiam semper pulsatio motusvé vicarius in *Aneurysmate* & interdum tantus, ut vestimenta elevet atque exteriùs conspiciatur; & cutis color à nativa sua constitutione non recedit, ut *Paræus* loquitur. In *Ecchymomate* verò pulsatio non semper adest, sanguisque Venosus & Arteriosus, vel uterque simul, in vicina spatia, per vasorum apertionem, effunditur, qui ita cutem mutat,ut si quis ex alto decidisset, aut graviori alicujus rei pondere oppressus,vel etiam clavâ, lapide, stipite ac similibus percussus fuisset. *A Varice* discernitur *Aneurysma*,quòd hujus sedes sit Arteria, illius autem Vena. *In Varice* etiam nulla percipitur pulsatio. A *reliquis Tumoribus* per eadem ferè signa discriminatur.

Chirurg. Libr.& cap. proximè cit.

XVII.

Signa Prognostica hæc præcipuè commemorantur. 1. Omne gravius *Aneurysma* difficillimæ & sæpiùs nullius est Curationis: quia

quia Medicamentis benè gaudere & sine manûs opera, quæ plerunque non sine repentina morte, ob sanguinis effusionem instituitur, sanari nequit. Deinde, quia ob continuum sanguinis motum curationi reluctatur. 2. *Aneurysmata* minora & recentia haud raro sanantur: Antiqua verò & majora quasi nunquam, propter anteà dictas rationes. 3. *Aneurysmata* interna nullo auferuntur tempore: quia nec manu, nec medicamentis, debitam opem ferre licet. 4. Solus *Aneurysmatis* Tumor externus, nisi excessivus fuerit, parum vel nihil periculi habet. Ita plurimi Medici multa viderunt *Aneurysmata*, quæ, licèt longo tempore durârint, nullum tamen notabile Ægris incommodum pepererunt. Quare præstat, meo quidem judicio, levius damnum tolerare, quàm periculosam Curationem suscipere.

XVIII.

Exempla feliciter *Curatorum Aneurysmatum* palmaria ferè sunt sequentia. *Primum. Lazarus Riverius* his verbis suppeditat: Filius *Petri Vesiani*, Mercatoris Monspeliensis, ex imprudenti V. S. in *Aneurysma* incidit. Cùm autem Cataplasmatibus adstringentibus ex Bolo, Terra Sigillat., aliisq; compositis, Aceto & album. Ovi subactis, ac tertio quoque die immutatis, nec non fasciis arctissimè superinductis, commodè tractaretur, trium mensium spatio curatus fuit. Cent.3.Observ.43.

XIX.

Secundum ex *Guilhelmo Fabricio Hildano* desumtum est. Is ait: fuit quidam *Nicolaus Gessei* nomine, cui, cùm sibi basilicam dextram à barbitonsore incidi curâsset, Arteria quoque simul compuncta fuit: unde paulatim *Aneurysma* exortum est, cui cùm, spatio mensis & ultrà, medicamenta, frustrà tamen, adhibita fuissent, *Genevæ* Medicos & Chirurgos nonnullos in consilium adhibere coactus fuit. Hi cùm rem in difficili esse, ac vix brachium servari posse, ipsi significâssent, ad me *Paterniacum* venit mense Majo. Tùm eo loci, ubi anteà V. S. facta fuerat, deprehendi tumorem, magnitudine ovum anserinum adæquantem, pallidum & utcunque durum, in quo pulsatio non tantùm digito persentiebatur, verùm etiam oculis conspiciebatur: talis enim erat pulsatio, ut pulvillos & fascias circumpositas in altum protruderet. Brachium quoque extendi non poterat. Do- Cent.3.Observ. Chirurg. 44.

lor tamen non adeò erat ingens, nisi cùm brachium extendere vellet. Ego, quùm curatu difficillimum hunc Affectum animadverterem, manum admovere recusavi; precibus tamen ipsius commotus curationem aggressus fui & brevi, *Dei beneficio*, in integrum restitui Ægrum.

XX.

Malè curatorum Aneurysmatum unam atq; alteram *Historiam* etiam adjicere placet. *Primam* habet *Dodonæus*, cùm scribit: Temerarius quidam Chirurgus *Aneurysmatis* in Pectore tumorem scalpello aperire ausus fuit: hoc aperto, profluente copioso sanguine & spiritu vitali, Æger citò defecit.

Obs. Med. rar. cap. 51.

XXI.

Secunda est apud *Schenckium Adolph. Occonis* sic loquentis: Ante annos plùs minùs 40. in cura quendam habui Patritium, qui ex saltu & concussione Equi ferocientis in vehementissimum dorsi dolorem incidit. Ideoque aliunde hûc vocatus fuit *Vesalius*, qui, ut deprehendit tumorem in dorso, circa vertebras aut spinam, pulsantem, statim dicebat *Aneurysma* esse ex dilatatione Arteriæ Aortæ, idque ex saltu seu concussione Equi, contigisse, & incurabile fore. Cùm autem Æger, supra biennium, hoc gravissimo morbo conflictatus, omnique auxilio Medico destitutus esset, tandem in manus Empirici cujusdam incidit, qui salutem pollicitus exhibuit Catapotia, nescio qualia, ex quibus in sanguinis sputum incidit Æger, & sic miser tandem in conjugis sinu, extinctus est. Dissecto corpore reperimus id, quod *Vesalius* prædixerat, nimirùm in ipsa Arteriæ Aortæ cavitate, tumorem prægrandem, durum, carnosum ex sanguine Arteriali concretum, qui foràs etiam protuberans, dolorem & pulsationem in dorso inferebat.

Libr. 5. de Tumorib. p. n. Obs. Med. 211.

XXII.

Hucusque etiam *Signa*, adeoque totius *Aneurysmatis* Διάγνωσιν & Πρόγνωσιν, pro ingenii modulo, levi penicillo adumbravi. Nunc me Ordinis ratio vocat, ut ad Θεραπείαν deveniam, & quomodo illud curari possit, vel non possit, pariter delineem. Siquidem Medicina propriè considerata non est scientia, quæ in se ipsa acquiescit: sed Ars, quæ adhuc integram corporis humani sanitatem conservat, morbis verò labefactatam

restaurat.

restaurat. Unde rectè alicubi *Aristoteles*: Veri, inquit, Medici illi sunt, qui ægritudines tollunt ac noxia pellunt; non verò, qui curandi modum callent & nihil agunt.

XXIII.

Verum enimverò, qui ritè Morbos curare ac depellere volunt, Nautas imitentur necesse est, qui antequã Oceano sese committant, Pyxidem Nauticam inspiciunt, ut tantò faciliùs ad locum, quem intendunt, pertingant. Sic illi duabus rebus instructi sint oportet. 1. *Methodo Medendi*, quâ per *Indicationes Juvantia* inveniant. 2. *Instrumentis* seu *Materiâ Auxiliorum*, quâ id, quod per *Indicationes* inventum est, exequantur. Absolvitur autem *Methodus Medendi Indicationibus*, quarum tres sunt. 1. *Curatoria*, quæ Morbum. 2. *Præservatoria*, quæ Causas. 3. *Vitalis*, quæ Vires respicit.

XXIV.

Morbus est Dilatatio Arteriæ vel cum vel sine interioris tunicæ Apertione, quæ *Adstringentia* & *Consolidantia* indicat. *Causa Proxima*, quæ est Sanguis spirituosus calidior, postulat *Evacuationem*, *Repulsionem* & *Derivationem*. *Causa Mediata Proximior*, quæ etiam est sanguis spirituosus copiosior, calidior, acrior & salsus, suadet ut quantitate peccans *Evacuantia*: ut calore, acrimoniâ & tenuitate *Refrigerantia*, *Demulcentia* & *Incrassantia*: ut motu *Revulsionem* & *Interceptionem*. *Causa Remotior*, quæ est Intemperies calida, urget *Refrigerantia*. *Causæ externæ* quoque sunt emendandæ. *Vires* denique delapsæ sunt refocillandæ & per convenientem Diætam conservandæ. *Materia Præsidiorum* ex usitatis tribus *Fontibus* depromitur.

XXV.

Ex *Fontis Chirurgici Scaturiginibus* communiter promanant: *Venæsectio*, *Cucurbitulæ*, *Fonticuli*, *Inustiones*, *Vesicatoria*, *Ligaturæ*, *Frictiones* & *Incisiones*. De quibus antequam agam, Lectoris permissu, præmittam rationem ac modum, quô imprudenti Arteriæ incisioni, cum Phlebotomia invitè factæ, tempestivè ac statim in principio succurri possit. Quandoquidem, nisi id mox in principio fiat, & antequam (dilatatâ exteriori Arteriæ tunicâ) *Aneurysma* ortum sit, Curatio postmodùm longior ac difficilior futura est. Quamprimùm igitur Chirurgus animadvertit sanguinem

à Sectione floridiorem, quasi saliendo, confertim profluere ac impetuosè velut exundare, statim de Arteria compuncta cogitet. Quare protinùs 1. foramini laminam plumbeam, argenteam, auream, aut nummum orbiculatum, seu crucigerum minorem vulgaris monetæ, aut etiam integrum ossiculum mali persici, superimponat, ac 2. Arteriam arctissimè occludat, ut scilicet hoc modo cutis sensim intumescens, impositum nummum vel laminam quasi obvallet, sanguinis Arteriosi impetum coërceat ac denset, itemque tumoris augmenrum prohibeat. *Gregorius Horstius*, ocyùs, occluso foramine, Emplastrum ex farina volatili, Bolo Armen., Terr. Sigillat., Pulv. Rad. Consolid. major. & similibus superaddit & compressiori ligaturâ factâ sanguinis affluxum cohibet. *Scultetus* vulneratæ Arteriæ spongiolam combustam, albumine Ovi agitato imbutam, & Pulv. Lapid. Chrysoliti præparati, nec non Adstringentibus *Galeni* conspersam, imponit. *Sennertus*, ad vulnus Arteriæ constringendum & adglutinandum, commendat Emplastr. contra Rupturam & sequens Ceratum: Recipiantur Thuris masculi part. duæ, Aloës pars una cum semisse, misc., cum album. Ovi conquassentur & pilis leporinis excepta vulneri Arteriæ imponantur.

Joh. Scult. Armamēt. Chirurg. part. 1. tab. 52.. figur. 1.

Libr. 4. part. 2. Observ. Med. 1.

Armamēt. Chirurg. part. 2. Observ. 96.

Libr. 5 Prax. Med. part. 1. cap. 43.

XXVI.

Venæsectio varios adimplere potest scopos: evacuat enim, revellit, derivat, refrigerat. Quantum autem sanguinis sit detrahendum, accuratè determinare est difficile. Omnes itaque circumstantiæ, quæ circa S. M. contemplandæ veniunt, sunt observandæ; quibus diligenter pensitatis nullus committitur error. *Cucurbitulæ* sine & nonnunquam cum scarificatione, atque Hirudines etiam sunt proficuæ. *Fonticuli* & *Vesicatoria* minoris sunt utilitatis. *Inustiones* pro adstrictione & ad sistendum sanguinem non inutiliter instituuntur. *Frictiones* suspicionis crimine non carent. *Ligaturæ* arctiores multùm juvant.

XXVII.

Vbi autem hujusmodi *Remediis Chirurgicis* propositum finem non assequuntur Medici, confugiunt cum *Aëtio*, *Albucasi* & *aliis*, ad *Incisionem*, quæ non, nisi cum summo vitæ periculo, administratur: nempe, Arteriam incidunt ac duobus interceptam vinculis, inter ista dissecant. Nolunt verò dissolvi vincula, antequam

tequā vulnus à Natura obductū ſit carne & ab omni Hæmorrhagiæ metu liberum. Similem Inciſionis modum *Paul. AEgineta* habet, cujus verba hujus ſunt tenoris: Si tumor ex apertione factus eſt, ſectionem rectam in longitudinem cuti infligimus. Deinde, diſparatis per hamulos labiis, excoriantes & per apta ad hoc inſtrumenta, à membranis repurgantes, Arteriā nudabimus & acûs ſub ea transmiſſione, ac per duo fila deligatione uſi, ubi priùs intermediam Arteriæ partem ſcalpello punxerimus &, quod continetur in ea, evacuaverimus, ſuppurante Curatione utemur, donec deligata filorum vincula excidant, &c. libr. 6. de Re Med. cap. 37.

XXVIII.

Paræus eodem ferè modo Inciſionem fieri jubet. Cutis, ait, ſuperincidatur, donec pateſiat Arteria, patefacta ipſa ſcalpello undique à circumjacentibus particulis diducatur, ipſi retuſa & incurva acus, introrsùm filum trahens ſubjiciatur, ligetur, hinc abſcindatur, intorti fili lapſus ex ſeſe exſpectetur, dum Natura abſciſſæ Arteriæ oras, regeneratâ carne, obducet: dehinc reliquum curationis ſimplicium vulnerum modo abſolvatur. Chirurg. libr. 6. cap. 28.

XXIX.

Rodericus à Fonſeca idem de Inciſione ſcribit, cùm inquit: Ligetur utrinque Arteria, carne denudata, & in medio pungatur: tunc enim, ob ligaturam, non multus effunditur ſanguis. Addit verò mox: Hanc Inciſionem, cum Ægri commodo fieri non poſſe. Nam ſi Sanguis extra Arteriam eſſet, factâ ſectione, effunderetur. Si ſolùm in Arteria, non agglutinaretur ea, & ulcus fieret inſanabile. Addit præterea aliam Operationem Manualem, his verbis: Ligetur Arteria ſursùm ac deorsùm, ſine inciſione. Sed operatio hæc etiam parum promittit commodi. Tom. 1. Conſult. Med. 60.

XXX.

Præter hoc *Claudinus* alia duo Adjumenta, quæ ab ipſo maximè convenientia appellantur, exhibet. Vnum eſt Brachiale quoddam ferreum, quod ad exteriùs cubitum ſit perforatum, in flexura verò partes habeat contiguas, quæ ferro aliquo impulſorio (vulgò *una vite*) deorsùm paulatim, verſus partem affectam, ſingulo quoque die, comprimi poſſit. Quod eò magis proderit, ſi intrà, pelle caninâ conditâ gallis immaturis & myrtis, fuerit obductum. Alterum eſt multiplicata Vſtio cutanea ad locum affectum, ut cutis corrugetur. Conſult. Med. 67.

XXXI.

His adjungere placet *ſingulare* illud *Inſtrumentum*, quod *Scultetus*, ad carpum manûs depinxit ac ſic deſcripſit: Conficiatur Inſtrumentum ex laminis ferreis, plurimis perforetur foraminibus, ut goſſipio, inter duplex linteum poſito, ſubduci, cubitoque, inſtar manicæ, adaptari poſſit. Arteria carpi, vel de conſilio Medici aperta, vel caſu fortuito vulnerata, tutiſſimè comprimitur hujus Inſtrumenti Cochleâ umbellatâ: ad compeſcendum enim Arterioſi ſanguinis affluxum carpus vulneratus neque laxè, neque arctè eſt ligandus. Laxa enim Ligatura certam patientis mortem, arctior verò ſphacelum manûs minatur: Illam, quòd ſanguinem ſeu vitæ theſaurum non ſiſtat; hanc, quòd vaſa omnia comprimendo manum privet ſpiritu vitali. Inſtrumenti autem cochlea tabellata, quia ferè ſolam Arteriam, quæ vulnerata eſt, arctiſſimè comprimit, citra ſphaceli metum, ſanguinis fluxum compeſcere poteſt.

Armament. Chirurg. part. 1. Tab. 18. figur. 4.

XXXII.

Severinus inſignis ille *Neapolitanorum* Medicus, circa *Aneuryſmatis* curationem, quod Domeſtici ejus notârunt, frequentiſſimè Operationem taliter inſtituit. Primò Venam & Arteriam, ſupra & infra *Aneuryſmatis* tumorem, ad prohibendum ſanguinis effluxum, actuali Cauterio, ſeu ferro ignito, uſſit: quâ ipſâ re curationem breviter abſolvit. Nonnulli denique, ſine omni Ligatura, *Aneuryſmatis* tumorē actuali Cauterio aggrediūtur aliquoties, ut videlicet hâc ratione tumor ſimul aperiatur, & ſanguinis affluxus prohibeatur. Sed cùm hæc Operatio valdè ſit moleſta, nec Æger eam facilè ferre poſſit, ſucceſſus ejus voluntati Ægrotantis atque Experientiæ, rerum Magiſtræ, committatur. Arrideret mihi præ cæteris *Paræi* & *Sculteti* modus procedendi.

XXXIII.

Sequuntur *Auxilia Pharmaceutica*, quæ ex *ſecundo Fonte* hauriuntur. *Pharmacia* autem primò ſuggerit *Lenientia*, *Præparantia*, *Purgantia mitiora*, *Alterantia* & *Adſtringentia*. *Lenientia* vel per ſuperiora adſumuntur, vel per inferiora immittuntur. Per ſuperiora, ut: Decoct. prunor. dulc., paſſular., pulp. prunor., Caſſ., Tamarind. Per inferiora injici poſſunt Clyſteres ex Rad. Alth., Cichor., Fol. Malv., Bismalv, Bet., Endiv., Flor., Viol. purp., Se-

min. 4.

min. 4. frigidis major., Hord. purgat., Caff. extr. pro Clyster., Ol. Rosar., Nymph. alb., Sal comm. aut Nitri.

XXXIV.

Ex *Purgantibus mitioribus* præprimis conveniunt ea, quæ ad bilem exterminandam faciunt. *Fortiora* in *Aneurysmate* interno nunquam; in externo non facilè & nisi cautè propinanda sunt. Prosunt autem Caff., Tamarind., Fol. Senæ S. S., Rhabarb. elect., Syrup. Rosat. solutiv. simpl., Violar. solut., Elect. Diaprun. laxat. composit. Nicolai. *Pilulæ* propter Aloëm hûc non quadrant. Si opus sit, præcedat *Præparans* aliquod ex Acetos., Portulac., Endiv., Cichor., Santal., Hord., succ. citr. depurat. & similibus.

XXXV.

Succedunt *Alterantia*. In præsenti negotio, cùm sanguis valdè sit calidus, *Refrigerantibus* utendum erit: eligantur autem ea, quæ simul *adstringunt*, aut admisceantur *Refrigerantibus Adstringentia*. In usum itaque vocari possunt: Semper vivum, Bursa Pastor., Plantag., Centinod., Hippur., Nymph., Semin. 4. frigid. major. & minor., Aqu. Spermatis Ranar., Sperniolæ compositum Crollii, succ. Granator. acidor., Agrest., limon., Rib., Berber., fragor., Conserv. citr. pulp., Rosar. rubear., Acetos., Diacydon. ex succ. parat., Rob Rib., Berber., Syrup. Granator. acidor., fragor., Tinctur. Rosarum. Hæc ultima non solùm *refrigerant* & *adstringunt*, sed insuper *corroborandi vim* obtinent. Medicamenta autem jam dicta omnia vel sola vel cum aliis mixta, & in diversas formulas redacta, pro Ægrotantis Viribus, Naturâ & Constitutione usurpentur.

XXXVI.

Constitui modò inter *Alterantia frigida* etiam *Aquam Spermatis Ranarum & Sperniolæ Compositum Crollii*. De *Aqua Spermatis Ranarũ* refert *Joh. Hartmannus*, quòd nonnullis, ad extinguendum Ignem sacrum, sæpè malo cum successu, familiaris fuerit. Est nempe Repercutiens Medicamentum nimis frigidum & gravium Symptomatum causa fuit manifesta. Laudatur verò, si cum Decocto Myrrhæ & Olibani mixtum offeratur. Idem *Author* affirmat, eandem Aquam utiliter ad Hepatis & Testium Epithemata recipi posse: sed Testes linteis Aceto Rosaceo, in quo Sperniolæ Compositum dissolutum sit, imbutis involvere jubet. Imò

Prax. Chymiatr. cap. 271.

Ibid. cap. 60.

dictam

In Notis ad Croll. Basil. Chym. f. 476. Pharmac. Spagyr. libr. 1. fol. 346. Basil. Chymic. fol. 475.

dictam *Spermatis Ranarum Aquam* in Hæmorrhagiis quibusvis vulnerum insignem habere efficaciam etiam *Hartmannus* docet. *Petrus Poterius Aquam Spermatis Ranarum*, ad ℥ij. pro dosi, manè, jejuno stomacho, usurpatam, contra easd. Affectiones, perutilem esse, testatur. *Sperniolæ Compositum Crollius* sanguinem coagulare asserit, & ad sistendam Hæmorrhagiam internam, ubi omnia desperata sunt, ad grana tria vel quatuor, intra corpus, in Aqua Bursæ Pastoris, exhibet.

XXXVII.

Consult. Med. 67. Libr. 4. cap. 19. In Antidot.

De *Adstringentibus externis, Repellentibus* & *Consolidantibus* inter *Adminicula Chirurgica* sermo factus est. Quibus insuper addi possunt, quę apud *Claudinũ, Fonsecam, Sennertũ* & *Horstium* inveniuntur. *Claudinus* primum Emplastr. ex Cupresso *Aëtii*, ex Sanicula cum Vino austero excepta & ex Granato austero cocta in sartagine, cum Oleo Myrtino paratum probat. Laudat deinde Ceratum *Montagnanæ*, ex Scoriis Ferri. Tertiò, Fotum ex Spongia madefacta in Aceto decoctionis Scoriæ Ferri. Vltimò, Emplastr. ex Cortice Vlmi cocto & sapa excepto appositum & ad siccationem usque detentum miri usûs esse asserit.

XXXVIII.

Tom. 2 Cõsult. Med. 53. Libr. 5 Prax. Med. part. 1 cap. 43. Libr. 4. part. 2. Observ. Med. 1.

Fonseca similiter Repellens *Aëtii* Emplastrum, quod ex Cupressi foliis, cum Vino contritis, additâ Gallâ & Hypocistide paratur, itemque Oxyrrhod. tepidum suadet. *Sennertus* Cataplasmata Adstringentia & Emplastrum contra Rupturam, ut superiùs dixi, applicat. Addit præterea alia ejusdem generis Medicamenta, ex Rad. Symph. major., Mastich., Thur., Malicorio, Acacia, Hypocistide, Myrto, Gallis, Aloë, Terra Sigillata, Bolo Armen., Lapid. Hæmatite, Emplastr. Diachalcith. &c. comparata usurpari posse. *Horstius* Tumori pulsatili succurrit Sperniolæ Composito, & inter Adstringentia ac Indurantia, præter superiora, cum *Paræo* & *Fonseca*, Emplastr. ex Caseo recenti, cum succo sempervivi vel Aizoi, admixto sero, frigidè & duplici linteo prætenso applicatum, vel etiam sale prunellæ, cum succo Plantaginis permixto, adhibitum commendat.

XXXIX.

Cons. Med. 79. apud Laurent. Scholzium

Ex *ultimo Præsidiorum Fonte Diæta* provenit, sine qua, ut *Joh. Crato* profitetur, optima Medicamenta non solùm parum effica-

cia, ve-

cia, verùm etiam noxia ſunt: quin imò, ut *Idem* alibi monet, gravi cum periculo Medicamentis auxilium ferimus iis Ægris, quos recta victûs ratio curare poterat. Quare ad ejus enarrationem tandem deſcendam, & qualis ab *Aneuryſmate* afflictis obſervari debeat, diſpiciam. Abſolvunt autem *Diætam Sex Res Non-Naturales* à Medicis appellatæ. E quarum numero primùm ſe hauriendum inſinuat *Aër*: cujus tanta eſt neceſſitas, ut, ſiquidem omnibus aliis abſtineat homo, & nec Cibum ſumat nec Potum, poſſit tamen per dies duos vel tres, vel etiam plures, vitam ducere: ſi cui verò Spiritus Vitalis intercipiatur, citò intereat neceſſe eſt. Sit igitur *Aër* temperatus, ad frigidum moderatè vergens & ſiccus: quia omnis Solutio Continui Aërem temperatum & ſiccum poſtulat, ac per exſiccationem conſolidanda eſt. Quamvis verò in hoc Malo, frigidus *Aër* conducibilior eſſe videatur, & in pulſatione Arteriarum *à Roderico à Caſtro* laudetur: quia tamen Vulneribus admodùm inimicus & nocentiſſimus eſt, vitari eum malim.

Conſ. Med. 3. apud Eundem.

Hipp. de Flatib.

Quercet. de Sclop. Vulnerib. cap. 3

Libr. 2. de Morb. Mulier. cap. 4.

XL.

Quia deinde Homo ſine Alimentis ne vivere quidem, multò minùs rectâ valetudine uti poteſt, & convenienti victu Natura noſtra, in hac vita, aliquandiù conſervatur, quatenus nimirùm iisdem, id, quod perenni ſubſtantiæ defluxu conſumitur, adjuvante Nutritione, quâ Nutrimentum in partium ſubſtantiam convertitur, mirabili modo reſtituitur, & ſic immaturus Hominum interitus præcavetur, vitaque noſtra prolongatur. Equidem de *Cibis*, *Aneuryſmatico* Ægro convenientibus, paucula quædam proferam. Sit igitur Victus frigidus & incraſſando Sanguini accommodatus. Commendatur præcipuè Caſeus recens, Alica & Pedes Quadrupedum. Lacticinia, Oryza, piſces ſaxatiles & Juvencorum Carnes, non frixæ aut ſale conſperſæ, fumo induratæ vel aromatibus nimiùm conditæ, & ſi quæ ſunt iſtiusmodi plura, conducunt. *Potus* humectat, quicquid ſubſtantiæ humidioris effluxit. Verùm, quia non omnia potulenta unicuique idonea ſunt, idcircò ad Naturas & Morbos utentium diſtingui, aptarique debent: Conveniunt autem †Lac & Aqua, pauco Lentiſco decocta. Vinum nullum bibatur, niſi Oliogophorum aut lymphatum, itemque mixtum cum

Horſt. libr. 2. de Corp. & An. Exerc. q. 3. 6. & libr. diſt. Exerc. 4. q. ij.

Fonſeca Tom. 2. Conſ. Med. 53.

Gal. libr. 10. de t. ſ. cap. 2.

Idem libr. 2 de Cib. bon. & mal. ſucc. cap. 19.

† *Fonſec.* Tõ. 1. Conſult. Med. 60.

loco jam dicto. Decocto pulpæ Tamarindorum. *Fonseca* Decocto Radicum Chinæ largiter, aut jure pullorum, uti jubet.

XLI.

Tertiò varia ſunt commoda, quæ corporibus noſtris à *Motu* communicantur. Quoniam verò *Quies* ſauciatis multùm prodeſt: quieſcat *Aneuryſmate* detentus, quantum fieri poteſt, & vehementiora Exercitia, ut Vecturæ exceſſum, Equitationem, Curſitationem, pilæ luſum, & ſimilia robuſtis, dextrâque valetudine fruentibus committat.

XLII.

Quartò, ut viribus, ita Ordine *Motui* & *Quieti* ſubjungutur *Somnus* & *Vigiliæ:* ex quibus etiam non minor ad tuendam Sanitatem redundat vis. *Somnus* autem ſit moderatus, & *vigiliæ* nimiæ arceantur.

XLIII.

Quinta *Diætæ* pars, ut ſic apellem, ſunt *Retenta* & *Excreta*. Vbi opera danda eſt ſedulò, ut *Alvus* & *Vrina* quotidiè reſpondeant: cùm ex longiori earundem retentione, multa ſanitatis incommoda exſurgant. Singulariter autem caveant ſibi Ægri à *Venere*, utpote per quam, agitato corpore & colliquato ſanguine, *Aneuryſmata* oriri & orta exacerbari poſſunt. Sic de Ægris ſuis Sacerdote & Mercatore, valdè conqueſtus eſt *Fonſeca*, quòd ſcilicet *Veneri* maximè fuerint dediti. Et conſtat, quòd non ſolùm Venerei, ſed & ii, qui ex *Venere* in Morbum Gallicum ſunt delapſi, ac litus atque ſudores ad hujuſmodi Morbi curationem neceſſarios, ob ſanguinem attenuatum & incaleſcentem, Arterias magnas in amplitudinem p. n. diſtendentem, lethalia paſſi ſint Symptomata.

Tom. 1 Coſ. Med. 60.

Id. Tom. 2. Conſ. Med. 55.

XLIV.

Vltimò, ſuperſunt *Animi Pathemata*, quibus mens noſtra, veluti procellis ac fluctibus, agitatur, Spiritus unà cum calore ingenito affatim revocantur, Cor vehementer angitur, ſtrangulato calore nativo, tantùm non obruitur: quin imò Corpus manifeſtè à naturali ſuo ſtatu evertitur. Quæ enim Medicina eſt, ut cum *Arnoldo de Villa Nova* loquar, quæ plùs confortet, quàm Gaudium? plùs calefaciat, quàm Ira? plùs refrigeret, quàm Triſtitia?

Matth. Martin. d. Morb Meſent. c. 22. & 23.

In Morb. ſimpl. Med.

Tristitia? plùs nutriat, quàm bona Spes? Quare omnes, *Aneurysmate* laborantes ab animi perturbationibus, præcipuè verò ab Ira, utpote quæ plurimorum Morborum fæcundissima est Mater, & cæteris, quibus hoc malum foveri potest, sibi temperent. Gaudium, Risumque nimium & similes animi Affectiones Ægris nolo interdicere, cùm turbulenta tempora jam pridem illis viam intersepserint.

Hæc sunt quæ *de Aneurysmate* tradere volui. Scio autem piscem sine spinis haud reperiri, rogo itaque omnes Viros bonos & cordatos, ut hos qualescunque conatus meos dextrè interpretari velint. Quâ bonâ spe fretus, vela contraho & in hoc omine desino.

DEO
SIT
LAUS HONOR ET GLORIA.

